





68.

MARIA SOLEM RONNERA, accedit  
PRORECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
**GEORG·GVILELMVS**  
**KIRCHMAIERVS**  
GRAEC·LIT·PROF·PVBL

**CIVIBVS ACADEMICIS**

S P D



Ignae sunt laude feminae, qvae multa sobole familias augent, et propagandae stirpis causa fidem connubii, et matrum partes diligenter implent. Qvo animo si ulla unqvam matrona fuit, cultu et cura nihilo se inferiorem praebuit. MARIA SOPHIA ROEHRENSEA, qvae dignitate generis, et ornamentis sexus, rectissimis qve vitae exemplis praeceps ceteras eluxit. In qya, donec rebus humanis interfuit, vivam spirantemque virtutis imaginem cuncti intuebantur, ceteri moris sanctitatem et innocentiam, praestantissimis naturae dotibus ornatam mirabantur. Ita enim honori suo studebat, ut commodis familias semper inserviret, et in educandi munere nihil marito concederet, nec minus domi suae privatim, qvam in coetu publico, sua sedulo munia obiret. Deo supplex, a caducis abduxit animum, et in eo spes suas omnes, et omnia vitae praesidia collocavit. Genere honesto, qvod pulchros maiores numerat, prognatam, populares sciunt, nec Saxones ignorant. Dona, qvae ei fortuna tribuit, referre supersedeo, qvae non sua culpa minuit, sed novis atqve egregiis accessionibus locupletavit. Inde multam laudem nacta, praemium verae pietatis habuit, et multas, neqve ignobiles, matronas longo post se intervallo reliquit. Adeo verum, et experientia confirmatum est, qvod sapientes

tra-

tradunt, similia ex similibus nasci, et fortes gigni  
ex fortibus, bonos plerumque a bonis, et virtute  
praeditis procreari. Tantum natura ad for-  
mandos mores valet, quam recta institutio ad-  
iuvat paulatim et excitat, ut suos ipsa sibi fines  
constituat, extra quos non egrediatur. Qvare  
paternas avitasque laudes amplexa, recte mo-  
nentibus paruit, et pietatis pudicitiaeque studio  
profecit indies, ut fertiles agros, fructuosasque  
arbores imitaretur. Nam ut stirpes ex terra  
succum trahunt, viresque sensim explicant et  
crescunt: sic illa tenerum animum imbuit sem-  
per et excoluit, ut virtutes, quae hunc sexum de-  
cent, cum lacte materno hausisse videretur.  
Nata est Stolpae, Misniae oppido, parentibus, di-  
gnitate florentibus, GASPARE COTTE, quae-  
sturae principalis, quae Dippoldisvaldae est,  
praefecto quondam amplissimo, et ANNA ELI-  
SABETHA, ab Leisterio genere, quod multis me-  
ritorum laudibus se extulit, oriunda. Agebatur  
tunc annus post Natalem Servatoris M DC  
LXIII. qvolll. Id. Ianuar. felicibus familiae suae au-  
spiciis nata, parentibus lactitiam attulit, qui in  
civitatem Dei ascriptam, praexceptis salutaribus e-  
rudiendam curarunt, et procedente aetate, ad  
res domesticas diligenter administrandas tempestive  
adhibuerunt, ut non in grege famularum, atque in turba  
adulantium tempus contereret, illecebrasque in tam dis-  
soluta seculi licentia consecraretur. Itaque moris ele-  
gantiam cum mulierum vulgo non affectabat, nec ta-  
men

men spernebat, neque sexu suo alienam iudicabat, si  
animi levitate vacaret, et virtute magistra vitae se tue-  
retur. Qva ex re permagna utilitas ad eam redundabat,  
qvum A.M DC LXXVI. patre orbata, suam ipsa  
aetatem regeret, et curam peritiamque domus admi-  
nistrandae rectis officiis diligentissime comprobaret.  
Matre enim aliquot post annis erecta, non otio et la-  
sciviae se dedit, neque in ludis comedationibusque ae-  
tatem consumpsit: suo certe exemplo ostendit, Si-  
monidem nugis delectatum, cum in sexum illum con-  
tumeliose diceret, et probri causa palam affirmaret,  
*Deum seorsim fecisse mulierum mentem.* Rectius egit  
et vixit Nostra, qvae cum Simonide ipso contentione  
industriae certare potuisset. His talibus ornamentis  
adductus Vir Nobilissimus CHRISTIANUS ROEHRENSEE,  
philosophiae, qvae vitam instruit, moresque componit, docttor ce-  
leberimus, Alumnorumque Curator gravissimus, A.M DC XXXV.  
castissimam pariter ac frugilissimam virginem domum duxit, ex ea-  
que septem liberos suscepit, *M. Christianum Sigismundum*, ingenio  
et industria clarissimum, editisque doctrinæ speciminibus, mihi et  
patribus devinectum maxime et carum, *Samuel Christianum*, qui  
illustrem Scholam Missensem, humanioris studii parentem frequen-  
tat, *Christianus Augustus*, iam pridem e vita excelsit. Filiae super-  
stites, *Augusta Sophia*, et *Iuliana Sophia*, virgines ornatissimae,  
matris optimae funus moestae prosequuntur. *Christiania Sophia* et *Sophia Elisabetha* vita fuoætae, atque in coelum receptae, in sinu gre-  
mioque parentum conqviæcunt. At enimvero haec tam frugi, et tam singulari-  
virtute mater, tamque felicis uteri matrona, ut pie vixit in terris, sic vitam de-  
inceps beatissimam cum Deo agit in coelis, quem sincere coluit, et precata est,  
cum agendum aliquid administrandum domi esset, sancta in omnibus vitae  
officiis, modesta in cultu et vietu, circumspecta in rebus domesticis, cauta in ra-  
tionibus, quae acceptis et expensis continentur: propensa in pauperes, qvibus  
pro modo facultatum liberaliter subveniebat. Ad has virtutes accessit mansuetu-  
tudo, qvam comitate ornabat. Superbiæ, muliere vitium, refugiebat, arro-  
ganiam detestabatur, adeo ut nullum insolens verbum ex ore matronæ exi-  
ret. Perturbationes animi compesceret, et ferendo leniebat, ne in morbo  
quidem, qvo bis tentata est, expugnari constantiam sinebat. Ita animam  
procurabat, et sumpto ante diviniore epulo refecta, sublatis in coelum manus  
bus oculisque, in patriam tendebat, huiusque possessionem adepta, pignus,  
quod abeuntes solent, filiis filiabusque, affinibus et amicis relinquebat. Vos  
Cives Academicæ, date id honoris sanctissimæ matronæ, et meritis publici  
qvondam vestri doctoris, amplissimisque pariter necessitudinibus, ut supre-  
num, pro eo, ac decet, officium defunctæ perfolvatis. P. P. Dominica  
II. post TRINITATIS, Anno recuperatae salutis cœlo CCVIII.

Ung VI 3

10 18  
13 17



B.I.G.



RECTOR  
E VITEMBERGENSIS  
**GVILELMVS**  
**HMAIERVS**  
· LIT. PROF. PVBL.  
**S A C A D E M I C I S**  
S. P. D.